



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris  
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

**Thomas <von Kempen>**

**Dvací, 1625**

De meditatione post matutinas. VII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

## CAP VT V.

*De choro.*

*Qui in  
choroplat.  
lit. simul &  
orat & le-  
git & op-  
ratur.*

*Psal. 70.*

1. **I** Sta tria, oratio, lectio, & operatio, occurunt nobis facienda in choro, quia ibi præcipue frequentatur oratio, in psalmis, hymnis, & collectis. Ibi etiam lectio sacra recitatatur in matutinis, in epistolis, & euangelijs. Nec unquam deest ibi perfecta eruditio, si fuerit diligens aduerentia. Ibi loquitur IESVS nobiscum, cum cantatur; *Salus populi ego sum.* Et iterum, nos loquimur cum Iesu, cum dicimus; *Spes mea Domine à iuuentute mea, adiuva in opportunitatibus, in tribulatione.*

2. Ibi est operatio bona & perfecta, cum corpore stamus & ore cantamus. Non est parvus nec instrutuosus labor, die nocteque chororum frequentare. Non est etiam otiosus, qui deuotè orat, immo maximus labor ad orationem sedare, cum orare non libet. Non est otiosus, qui scripturas legit, aut legere audit, aut de eius meditatur & ruminat. Fit homini chorus parvus, si incipit delectari in omnibus diuinis scripturis.

## CAP VT VI.

*De vigilijs matutinis.*

*Vigiletur  
in oratio-  
ne media  
nocte.*

1. **O** Mni media nocte statim ut suscitatus fueris, surge alacriter, & prepara cor tuum ad vigilandum & psallendum Domino in latitudo & exultatione. Si non habes deuotionem in choro, psalle a quo animo, & expecta gratiā Domini de cœlo. Sepedat Deus in fine quod iustè antè denegauit. Vult ut laboremus, vult ut patiēter expectemus. Vult ut gratū nobis sit & magnum, quod dare disposuit. Vult ut cognoscamus veraciter, quia à nobis nihil boni habemus, sed totum de sua gratia & misericordia nobis constat. Oremus ergo, cantemus, & laudemus Dominum Deum nostrum, qui fecit nos, quia nihil iucundius, quam Deum corde & ore laudare. Longè sit somnolentia, longè & pigritia, vbi in conpectu angelorum & coram oculis maiestatis Dei stamus.

## CAP VT VII.

*De meditatione post matutinas.*

1. **F**initis matutinis, offer te ipsum Deo in sacrificium laudis perpetuae, vt in sui nominis laude & amore, tota die ac nocte, te dignetur conseruare. Hoc enim principale opus nostrum est, te debet Deum semper laudare, & omnia opera nostra exteriora & interiora, parua & magna, ad eius honorēm purē & integre.

corde agere. Vita angelica est, chorum cum deuotione & reue-  
rentia frequētare. Nam ibi plures deuoti visiones angelicas ha-  
buerunt, s̄epius in spiritu rapti sunt, frequenter illuminati, dulci-  
ter consolati, & fortiter accensi sunt.

## C A P V T VIII.

*De custodia cella.*

1. **F** Initis primis vel tertiijs, studeas te continere à verbis multis  
& circuitiōibus; sed quanto celerius potes, cellam pete, &  
aliquid boni exercitij propone, quod tibi per totam diem deser-  
uiat. Statue firmiter, quod hodie velis te custodire in omnibus  
morib⁹ & sensib⁹ tuis: Habere scilicet pudicos oculos, non cu-  
riosos, pauca & utilia verba, gressum maturum & incessum hu-  
milem; & in omnibus motibus & statu nihil agere aut prætende-  
re, quod cuiusquam offendat aspectum. Vbicunque necesse fue-  
rit te esse, omnibus priuatis prætermissis, studeas tempestiuè ve-  
nire. Nec assuescas malum vsum, posterior s̄epius veniendo.

2. Nihil æstima, quod facis, si non prius feceris, quod debes. E-  
sto igitur vbicumque cum primis alacer, & paratus in omni loco  
& tempore ad hoc deputatis. Communia semper præpone pro-  
prijs & priuatis. Alterius, potius quam propriam studeas facere  
voluntatem, & eris omnibus dilectus, tam Deo quam fratribus.  
Pauca verba & humile responsum habeat os tuum. Melius est ta-  
cere, quam imprudenter loqui. Libenter sis in cella: si non potes,  
custodi os tuum.

## C A P V T IX.

*De exitu ad laborem.*

1. **A** Ntequam excas, & postquam intraueris cellam, breuem  
habeas orationem. Noli cor tuum effundere ad exteriora,  
sed disce manibus operari & corde orare. Nemo statim perfectus  
est, nec vna die acquiritur virtus & deuotio ista; sed quotidiano  
exercitio & diligenti proposito, efficitur homo denotus & inter-  
nus.

## C A P V T X.

*De obedientia, & humili response.*

1. **Q** uod tibi semel inhibetur, sic studeas dimittere, ut nō sit o-  
pus secundò. Quod tibi pro bono dicitur, pro bono accipe,  
& eris semper inde melior. Non queras excusationem in defe-  
ctibus, sed humiliationem cum emendatione. Si vis semper lu-  
crari & amari, humilia te, & tace sustinens. Virtutes semper læti-  
fiant, passiones mœstiam generant. Sacram scripturam dilige,  
libenter

Propositū  
quilibet  
die reno-  
uandum.